



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Vera sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

- tendendo obligare ad amplectendum illud.* Filg. in Censurâ Pont. pag. 58. ait ex P. Suar. tunc loqui toti Ecclesie, cum obstringit sub præcepto S. Obedientia omnes Christi Fideles, ut indubitanter admittant contentum in Decretis.
- Diez. Diez de Prado l. p. §. 1. Hispano idiomate fideliter in Latinum translato: Tunc Papa loquitur ut Doctor privatus, quando non utitur autoritate, quam habet ut D. Petri Successor, sed tantum autoritate particulari, quâ gaudet ratione sue prudentie, experientie, scientie; tunc autem ut Caput Ecclesie, quando loquitur ex Cathedra, seu quando definit, & determinat aliquid utens totâ autoritate, quâ gaudet ut Christi D. Vicarius, & Petri Successor. Herinx tom. 3. d. 6. n. 88. tunc Papam loqui definitivè, seu ex Cathedra, non tantum dum hoc explicite dicit, sed etiam dum implicite significat, ex. gr. cum significat aliquid ab omnibus credendum. P. Palao tom. 1. tract. 4. d. 1. p. 5. §. 3. n. 4. quando statuit aliquid a totâ Ecclesia observandum. P. Arldekin tom. 1. qu. est. 3. de author. Pontif. ait, tunc Papam autoritatè summâ definire, quando universæ Ecclesie aliquid proponit, & mandat sub anathemate recipi à totâ Ecclesia idem repetit quæst. 6. Torr. diff. 3. n. 40. Hispanè ait, quando docet universam Ecclesiam instruendo oves, ut discernant inter bona, & mala pascua. P. Moya tom. 1. tr. 3. d. 8. quæst. 6. n. 23. quando declarat aliquid in universâ Ecclesia. P. de la Fuente Hurtad. diss. 1. quæst. 18. quando præcipit aliquid observandum autoritate Omnipotentis Dei, ac Vicarius Jesu Christi; & latè explicat, quid veniat per nomen Cathedræ. Caram. lib. 1. Theol. Mor. Fund. n. 254. cum toti Ecclesia declarat se definire articulos, quos vult teneri de fide, & ut tales suscipi, & credi à totâ Ecclesia, neque esse de essentia definitionis hujusmodi, quod illa accipietur. Vid. C. Bellarm. tom. 1. in Indice, verb. Pontifex, plurima, C. de Lugo, P. Bernal, P. Oviedo. P. Petrum Hurtado de Fide, & Neußer d. 1. quæst. 15. pag. 11.
- Circa secundum, undenam discerni possit, quandonam Papa loquitur ex Cathedra, quâdo ut Doctor privatus? Resp. 1. quâvis hoc dubium affinitatem habeat cum antecedenti, qualem habet effectus cum causâ, logè tamen aliud est; eo modo, quo aliud est, quid sit homo, aliud, undenam discernere possim hunc esse hominem; aliud est, quid sit differre specie Philosophicâ vel Theologicâ; aliud undenam discernere possim, hæc inter se differre specie. 2. Resp. quod cum hoc dubium, ficut & præcedens, apud neminem nequidem obiter, nisi post hæc à me scripta agitatum viderim, quàm à solo deinde P. de la Fuente diss. 1. quæst. 17. & 18. dicendum

puto, quod ex re, quam loquitur, ex modo loquendi, & ex personis, quas alloquitur, facile discerni possit, quandonam Papa loquatur, ut privatus Doctor, quando ut Magister totius Ecclesie. Sicut enim Papa ut Magister totius Ecclesie loquitur in materia fidei, quando vel dicit se explicare fidem, vel asserentes oppositum esse hæreticos, vel aliquam doctrinam anathematizat, vel jubet, ut omnes hoc credant; econtra loquitur ut privatus Doctor in materia fidei, dum ad aliquam Ecclesiam particularem, aut personam scribit, (nisi indicet se definire) ita Papa tunc loquitur ut Magister totius Ecclesie in materia morum, quando totam Ecclesiam alloquitur, & vult, ut indubitanter admittat, quod decernit, & obligat sub excommunicatione sibi soli reservata; tunc autem ut privatus Doctor in materia morum, quando defunt, vel omnes, vel pleræque circumstantiæ. Notat autem rectè Card. Bellarm. C. Bel. lib. 2. de Concilijs cap. 12. & ex eo Herinx, Herinx. quod quoties Papa loquitur per modum opinantis, ex. gr. cum dicit, *Ita apparet, ita opinamur, est verosimilius*, loqui ut privatum Doctorem; similiter cum aliquid asserit præter illud, de quo tunc est quæstio, adeo ut Papa in rationibus, quas asserit, sustineat potius personam Doctoris disputantis, quam Judicis definitivis. Demum in ipsis etiam Decretis de fide, non verba, sed tantum sensus ad fidem pertinent, nisi de ipso verbo sit disputatio. Vid. Card. Bellarm. Herinx, P. P. Val. Val. II. cc. & Gravinam 2. p. tom. 4. pag. 153. M. Gr.

§. III.

Vera sententia.

SUMMARIUM.

Dicta Decreta sunt ex Cathedra, etsi opiniones disceptæ fuerint in Inquisitione, n. 15.
Doctores, n. 16.
Rejicitur aliquorum ratio, n. 17. 18. 19.
Tunc Papa loquitur ex Cathedra, cum vult Decretum suum ab omnibus admitti, n. 20. 21.
Finit Decretorum, n. 23.
Quantum profunt ea Decreta, si sunt à Papâ, ut Papâ, tantum obsunt, si non sunt, n. 25.
Inductio similium Decretorum Papâ, ut Papâ, n. 26.

Dico, quod licet discussio propositionum N. ab Alexandro VII. & VIII. & Innocentio XI. damnatarum facta fuerit in Generali Inquisitione Romanâ, attamen Decreta illas damnantia non sunt ab illis, ut Capite Romanæ Inquisitionis, sed ab illis ut loquentibus ex Cathedra, & ut Capite totius Ecclesie Catholicæ.

Hanc sustinent quotquot post Innocentium

N. 16. Lumb. Filg. 19. P. Carden. tom. 1. d. 9. cap. 20. art. 2. & 3. & tom. 4. disp. 1. cap. 4. & P. Moya, qui etiam ante Decretum Innocentij Tomum primum impresserit, attamen docet, quod nos adduxit distinctionem eorum, qui dixerunt Decretum Alexandri VII. non esse ab eo ut Capite totius Ecclesiae, sed ut Doctore particulari, ait: *Audis nonnullos ita distinguere, sed apud me non bene audiunt; & paulo infra ait: Res sane gravissima est, & digna, quae Ecclesiae iudicio expresse discernatur; secus ob nullius auctoritatem ab asserto dimovear;* id est, à dicendo tale Decretum Alexandri esse ab eo ut Capite totius Ecclesiae. Jure merito tātus Vir hac dixit, alias de plerisque Decretis actum erit; praesertim si vera esset sententia eorum, qui docent similia Decreta Pontificum, esto sint gravissimae auctoritatis, non tamen sufficere ad tollendam probabilitatem opinionum damnatarum, quos recenset idem P. Moya l.c. an. 2.

N. 17. Lumb. Filg. Torrec. Ut autem opinio solide pro rei gravitate probetur, adducam prius aliorum rationes, refutando quas puto in solidas, & amplectendo solidas. Prima, cui nititur Lumbier, Torrec. Filg. est: Ut haec Decreta omnes obligent, satis est ea promulgatio, quae facta est, ut omnes obligarentur, si opiniones fuissent damnatae maiori censurā, sed si damnatae essent maiori censurā, ex. gr. ut haeretice, ut ea Decreta obligarent omnes, satis esset, ut essent moraliter certi, quod ea Decreta lata fuissent, esto non essent hic promulgata: ergo nunc hoc modo obligant. Confirmant paritate à pluribus laudatā: Sicut, si alicui moraliter certo constet hunc cibum esse venenum, tenetur quilibet hoc sciens ab eo abstinere; ita à pari, si certo moraliter constet hanc doctrinam non esse sanam, tenetur eam deicere: sed etsi Decreta Alexandri non sint in Hispania promulgata, est certum moraliter Hispanis ratione Decreti Alexandri publicati Romae, doctrinam damnatam esse noxiam: ergo Decreta Pontificis, saltem quatenus declaratoria, & doctrinalia, non egent nisi promulgatione factā Romae, ut omnes obligent. Ita citati. Sed contra primo: quia resolutio huius questionis, an Decreta Alexandri sint Pontificia, an tantum Pontificis ut Praefidis alicujus Congregationis, non pendet ab illā questione, an Leges Pontificiae quatenus declaratoriae obligent etiam, ubi non sunt promul-

gata, de quā infra; quapropter ut argumentum concluderet, (& quidem, ut hoc unice concludat, nempe satis esse, ut Lex Pontificia sit Romae promulgata, ut Hispanos obliget, hoc enim tantum concludit) debuissent Adversarij prius probasse ea Decreta Alexandri, & Innocentij esse Pontificia; si enim talia certo sunt, tunc dico, quod quatenus declaratoria sunt, obligant omnes, qui certam de illis notitiam habent, etsi non sint Romae promulgata. In forma responderi posset distinguendo: Ut haec Decreta, si sunt Pontificia, omnes obligent, satis est ea promulgatio, &c. concedo maiorem; si non sunt Pontificia, nego maiorem, & distinctā eo modo minori, nego consequentiam. Ratio est: quia, ut recte ad hoc argumentum Doctor Complutensis, maior, vel minor obligatio non tam defumitur à maiori, vel minori censurā, quā à maiori, vel minori auctoritate infallibili, aut fallibili, eas censuras ferente: si enim sunt ab auctoritate infallibili, seu Pontificia, obligant ubicumque omnes; si autem à fallibili, seu ut Praefide Congregationis Romanae, non obligant, nisi ubi sunt promulgata. Probandum igitur erat ea Decreta esse Pontificia, ut rem evincerent. Ad confirmationem dico, quod eo ipso quod Adversarij non probant Decreta Alexandri, & Innocentij esse Pontificia, eo ipso etiam non probant esse à Medico infallibili, atque adeo non esse infallibiliter verum eam doctrinam esse noxiam; unde licet auctoritas Papae pure ut Praefidis sit gravissima, potest tamen occurrere alia gravis ratio, vel auctoritas infirmans auctoritatem fallibilem Papae, ut Praefidis Congregationis; & sic paritas est contra suos Autores: ut enim, si contra unius medici, etsi gravissimi, testimonium, sit testimonium plurium medicorum, qui ratione, & experientia suaderent talem cibū taliter dispositum non esse venenum, liceret eum edere; ita in casu nostro. Haec Doctor Complutensis, & merito.

Secunda ratio est P. Moyae tom. 1. tr. 3. d. N. 8. quest. 6. n. 23. quem laudat, & sequitur Torrec. n. 39. & Filgu. pag. 58. quia, quod Summus Pontifex praemisso Cardinalium examine, & auditis eorum votis declarat in materiā morum, non est cur pari reverentia non sit suscipiendum, ac pro aequē certo habendum, ac si idem in Bullā speciali, & Motu proprio, ut Supremum Caput Ecclesiae declarasset. Sed contra; quia hoc probat, quod aequē certū nobis esse debeat id, quod Papa ut Iudex privatus declarat, ac quod ut Summum totius Ecclesiae Caput: ergo non est aequali reverentia suscipiendum, quia dum

dum loquitur ut Supremus totius Ecclesiæ Pastor, est infallibilis, non ita, dum ut Præses Inquisitionis.

N. Tertia est ex P. Carden. n. 103. Inter
19. damnatas ab Alexandro VII. est hæc nume-
P. Card. ro octava. *Post Decretum Urbani VIII. licet
adhuc duplicatum stipendium accipere pro unius
Missæ celebratione.* Nunc sic: Decretum Vr-
bani de stipendio duplicato non sumendo
pro unâ Missâ prodijt non minus in Inquisi-
tione Romana, quam Decreta Alexandri, &
Innocentij: sed Alexander VII. declarat il-
lud Decretum Urbani in Inquisitione pro-
mulgatum, esse Urbani non ut Præsidis In-
quisitionis, sed ut Capituli totius Ecclesiæ:
ergo etiam Decreta Alexandri, & Innocen-
tij. Minor probatur: Si Decretum Urbani
esset Urbani ut Præsidis Congregationis,
non esset infallibile, non licere duplex pro unâ
Missâ stipendium recipere: sed est infallibile ex
Alexandro VII. damnannte ejus contradictio-
nem, licet duplicatum pro unâ Missâ stipendium
etiam post Decretum Urbani recipere: ergo est
infallibile non licere. Verum licet argumen-
tum hoc sit ingeniosum, non tamen Adver-
sarios convincet; ut enim dicebant Decre-
tum Urbani fuisse ab Urbano, ut Præside
Inquisitionis, ita hoc idem dicent de Decre-
to Alexandri, adeoque inaniter per Decre-
tum Alexandri probare P. Cardenas, quod
Decretum Urbani fuerit ab Urbano ut Ca-
pite totius Ecclesiæ. Rursus, sicut quia De-
cretum Urbani putabant esse ab Urbano ut
personâ privata, docuerunt Adversarij, ubi
non fuit promulgatum, opinionem opposi-
tam damnata ab Urbano, & putarunt non
esse infallibile, quod non liceat duplex pro
unâ Missâ stipendium accipere; ita arbitran-
tes Decretum Alexandri VII. esse ab eo ut
personâ privata, dicent non esse infallibile,
non licere duplex pro unâ Missâ post De-
cretum Urbani stipendium recipere.

N. Itaque probatur primò. Toties Pontifex
20. loquitur ex Cathedrâ, quoties edit Decre-
tum pro totâ Ecclesiâ Catholicâ, & vult il-
lud ab omnibus indubitanter admitti, & fert
sententiam excommunicationis sibi soli re-
servatam ipso facto incurrendam à quocum-
que cujuscvis status, & dignitatis homine,
qui ei quomodocumque contraveniat, &
prohibet in virtute S. Obedientiæ, & sub
interminatione Divini judicii omnibus etiâ
specialissimâ notâ dignis, ne aliquam ex
damnatis ad praxim deducant: sed ita se ge-
runt uterque Alexander, & Innocentius in
suis Decretis: ergo loquuntur ex Cathedrâ.
Maior est omnino certa, quam ut calculo
Theologorum firmarem, §. elapso plurimos

adduxi; in definitionibus autem standum est
judicio Authorum; alias si cuilibet permil-
sum esset novas condere definitiones, omnis
quæstio ad definitionem reduceretur, & ni-
hil certi in ulla re haberi posset. Minor pro-
batur: nam in titulo Decreti expressè dici-
tur, *Decretum SS. D. N. Innocentij*, quod ite-
rum repetitur: ne autem ulla daretur ansa
Adversarijs dicendi, esse Decretum Inno-
centij ut Præsidis Inquisitionis, immò esse
Decretum Innocentij, ut ex Cathedrâ, Pa-
pa in eo Decreto alloquitur omnes Christi
Fideles; & in Proœmio trahit pro suâ locu-
tionis motivo, fecernere salutaria ovium si-
bi creditarum pascua à noxijs, quod est mu-
nus Pastoris: ut enim Christus D. D. Pe-
trum in Caput totius Ecclesiæ inauguravit
per ea verba, *Pasce oves meas*, ita Innocentius,
& uterque Alexander, ut ostendant se lo-
qui tamquam Caput totius Ecclesiæ, eadem
Pastoris, ovium, pascuorum metaphora
utuntur. Rursus Innocentius, & Alexander
volunt, ut omnes indubitanter admittant
sua Decreta, sub pœnâ excommunicationis
sibi servatâ contra defendentes, edentes, dis-
putantes; & sub interminatione Divini Ju-
dicii prohibent, ne ullam, quicumque ille
sit, præcipient: ergo talia Decreta sunt ex
Cathedrâ. Confirmo ex clausulâ Decreti In-
nocentij, qui præcipit, ut omnes in virtute
S. Obedientiæ caveant in disputationibus, &
prædicationibus ab omni censurâ, notâ, &
convitijs contra propositiones inter Catho-
licos controversas, donec à Sanctâ Sede re-
cognite, feratur de illis judicium: ergo Inno-
centius supponit ut certum, à se damnatas
esse à Sanctâ Sede recognitas: sed proposi-
tiones esse à Sanctâ Sede recognitas, est for-
maliter idem, ac esse judicatas à Papâ ut lo-
quente ex Cathedrâ: ergo Innocentius in suo
Decreto loquitur ex Cathedrâ. Idem pro-
portionaliter dicito de utriusque Alexandri
Decretis.

Quapropter P. de la Fuent. Hurt. quæst. 19. N.
n. 138. dixit adeo clarum esse, inspecto co-
rum Decretorum textu, quod ea Decreta
sint immediatè à Summis Pontificibus, Ale-
xandro, & Innocentio, & non ab Inquisi-
tione, ut non possit in dubium vocari. Ne-
que enim, ait citatus Doctor, ab aliquâ par-
ticulari Congregatione emanarunt, cui Pa-
pa decisionem commiserit, nec eo consulto
prodierunt, aut *facto verbo cum Sanctissimo*, ut
in plerisque Decretis Congregationum ac-
cidit; sed ipse Pontifex est, qui loquitur; ip-
se qui Cardinales, & T. T. audit; ipse sta-
tuit, ac decrevit, & damnavit, ut scandalo-
sas, & præcepit, ne in posterum praticaren-
tur;

tur, & in disputationem vocarentur: Cum autem omnia non potuerint fieri à Papà ut personà privata, planum est, Decreta ab eo emanasse, ut est Caput Ecclesię, & Iudex controversiarum moralium, adeoque sunt Decreta Sedis Apostolicę suā propriā auctoritate utentis, & esse infallibilia, quomodoque deinde vocentur, sive ex Cathedrà, sive ex Tribunali. Hęc P. de la Fuente.

N. 22. Secunda ratio sumitur ex censurâ excommunicationis *solī* Papę præterquam in articulo mortis reservata: quæro enim, vel talis censura est lata à Papà ut Papà, vel ut puro Inquisitore Generali? si à Papà, ut Papà: ergo etiam Decretum damnans opiniones est à Papà ut Papà; aut si hoc non est à Papà ut Papà, nec excommunicatio. Ratio est mihi certa: quia contra censuram latam à Papà ut Papà itant omnes Adversarij observationes, quibus tentat suadere Decretum non esse à Papà ut Papà: dicam enim ego, quod ut censura sit à Papà ut Papà, non debeat ferri per Decretum ab Inquisitione emanatum, nec ab ejus Notario subscriptum, &c. Si autem dicatur eam censuram non esse à Papà ut Papà: ergo non est *solī* Papę reservata, quia est principium apud T. T. certum in materia de censuris, & Legibus, ei convenire potestatem tollendi reservationem, & legem, cui competat auctoritas legem condendi, & reservandi: ergo si ea censura non est à Papà ut Papà, non est ei *solī* reservata; sed Adversarius hoc merito negat, tum quia Decretum expresse dicit eam *solī* Papę servatam, tum quia Hispanus defendens aliquam ex damnatis non esset necessario à Papà absolvendus, sed satis esset, ut ab Inquisitore Generali Hispano; ut enim Hispanus in Hispaniā vivens non est subiectus censuræ latæ, ab Inquisitore Romano, (ut Hispani docent) ita ab eā non est absolvendus ab Inquisitore Romano. Cum igitur censura sit lata à Papà ut Papà, nec alius possit ferre censuram *solī* Papę servatam, nisi solus Papà, certo moraliter infertur Decretum, quo ea censura intimatur, esse à Papà ut Papà; quia enim vel apparenti ratione suadebitur mihi, vel quod Decretum sit à Papà, ut Capite Inquisitionis Romanę, censuram autem esse à Papà ut Capite totius Ecclesię; vel quod censura sit etiam à Papà ut Capite Inquisitionis, reservatio autem, & absolutio danda sit à Papà ut Capite totius Ecclesię. Fateor me hæc non intelligere.

N. 23. Tertia ratio sumitur ex fine Decretorum Alexandri, & Innocentij; finis enim, & motivum, ut constet ex Decretis eorum Pon-

tificum fuit revocare oves Ecclesię, sibi ut Summis Ecclesię Pastoribus commissas, à spatioſa perditionis via; quo posito, ita arguo. Finis Innocentij, & utriusque Alexandri fuit revocare, damnando mala pascua, ad salubria Ecclesię pascua *omnes* Christi Fideles, nam Decretum omnes alloquitur: sed hunc finem dicti Pontifices obtinere non poterant, si præcisè se gessissent ut Caput Inquisitionis; possunt autem eum efficaciter obtinere, si se gerant ut Caput Ecclesię: ergo debuerunt se gerere in dictis Decretis ut Caput Ecclesię. Maior est certa ex Decretis. Minor etiam est certa: quia Papà præcisè ut Caput Inquisitionis Romanę est fallibilis in declarando, immò eidem præcisè ut Capiti ejusdem Inquisitionis, dicunt Hispani, non esse subiectos illos, qui Hispanicę Inquisitioni subduntur: ergo cum Pontifices dicti alloquantur omnes, & efficaciter velint, quod volunt, ut certum est; consequenter dicti Pontifices non possunt non loqui ut Caput Ecclesię.

Confirmo primò: Adversarius concedit N. 24. rationem, à quā Papà motus fuit, fuisse revocare ad arctam salutis viam oves per spatioſam opinionum viam ambulantes; negat autem Papam ea Decreta tulisse ut Caput Ecclesię, sed ut Inquisitorem Generalem, eo tamen animo, ut omnes Fideles revocaret, licet fungens munere puri Inquisitoris Generalis, non posset omnes æqualiter obligare. Hæc Adversarius contra nos; nunc ego contra illum. Si Alexander se gessisset ut Inquisitor Generalis, potens se facile gerere in Decreto ferendo ut Caput Ecclesię, sequitur primò, quod Alexander in re summi momenti habuisset meram velleitatem, cum teneretur, & facile posset habere voluntatem efficacem; hoc autem nullus dabit. Sequela probatur; quia Alexander ut Caput Inquisitionis non potest (ait Adversarius) *omnes* oves obligare: sed Alexander, ut etiam concedit Adversarius, habuit voluntatem revocandi *omnes* Fideles, voluntas autem tendens in impossibile est velleitas: ergo si Alexander decrevit præcisè ut Caput Inquisitionis, habuit meram velleitatem revocandi *omnes* oves. Secundò sequitur Alexandrum pigerrimè, ni dicam fatuè, in salutis negotio se gessisse, quatenus pollens facillimo, & unice necessario medio ad revocandos in salutis viam *omnes* Fideles, (medium autem erat loqui ut Caput Ecclesię) neglexit medium unice necessarium, assumpto medio inutili, & ad finem intentum inefficaci. Tertio sequitur Alexandrum inconsideratè locutum, cum enim non posset præcisè ut Caput Inquisitionis:

tionis; (teste Adversario) alloqui *omnes* Fideles, & *omnibus* imperare, attamen illis *omnibus* imperavit, & *omnes*, nullo dempto, allocutus est cum comminatione excommunicationis. Certè ne levi quidem probabilitatis specie puto dici posse, dictos Pontifices in suis Decretis locutos ut Caput Inquisitionis, nisi probabiles sint deductæ sequentiæ, quod nemo dicet.

N. 25. Confirmo secundo: quia quantum utilitatis Fidelibus provenit ex Decretis, si sint à Papâ ut Capite totius Ecclesiæ, tantum detrahitur, si sint à Papâ ut Capite Inquisitionis. Prima utilitas est, quod necessarium aliquando sit, ut omnes Fideles cognoscant supra se Pontificem tamquam Caput totius Ecclesiæ, & ejus infallibilitatem cæco intellectus obsequio venerentur. Secunda, ut admittant indubitanter, quod Papa præcipit, & rejiciant, quod damnat. Tertia, ut tamquam infallibile tucantur, quod Papa docet ut Caput Ecclesiæ. Cessant autem dictæ utilitates, si Papæ in dictis Decretis se habent ut Caput Inquisitionis. Cessat prima; quia non cognoscitur ut Judex totius Ecclesiæ; secunda, quia, licet ut Caput Inquisitionis sit gravissimæ autoritatis, non tamen tantæ, ut reddat infallibile, quod asserit, tertia, quia infallibilitas non est promissa Papæ ut Capiti Inquisitionis, sed ut Capiti Ecclesiæ Universalis.

N. 26. Quarta ratio sumitur ex perpetuâ similitudine Decretorum interpretatione; securior enim legis interpretatio est consuetudo: sed, ut bene P. Moya n. 23. Decretum Clementis VIII. prohibentis absolutionem inter absentes fuit sub eadem formâ datum in Universalis Inquisitione Romanâ anno 1602. & tamen ita datum, fuit tantâ reverentiâ ab omnibus exceptum, ac si esset, ut verè est, Decretum Papæ loquentis ex Cathedrâ, nec ullus post illud Decretum ausus est docere opinionem damnatam, vel dicere Decretum fuisse Clementis ut Capitis Inquisitionis; immò omnes T.T. ut certum supponere, Decretum fuisse Clementis ut Capitis totius Ecclesiæ; & tale Decretum expressè vocatur à P. Palao tom. 4. tr. 23. d. unicâ p. 5. *Mortuus proprius*, ait enim; sed jam de hac re dubitare non licet, quia Clemens VIII. in Motu proprio, &c. & Joan. Mart. de Prado trahens idem Decretum Clementis in tom. de Pœnit. quest. 3. de qualitate Sacramentalis Confessionis dub. 1. n. 20. dicit esse doctrinam ex Cathedrâ, & à P. Suar. tom. 4. in 3. p. d. 19. sect. 3. in fine, vocatur definitio; ait enim: est sententia certa in gradu à Pontifice definita: P. Kon. quod idè trahit P. Konin. & alij passim: ergo

licet Decreta Alexandri, Innocentij, Urbani, aliorumque Pontificum damnantium aliquas opiniones morales, eodem tenore processerint, non obstat, quin hæc Decreta sint Pontificia, seu ex Cathedrâ. Confirmo ratione initio §. antecedentis adductâ, quam hæc paritate illustro: Magis necessarium est Ecclesiæ scire, quandonam Papa loquatur ex Cathedrâ, quam Hispaniæ scire, quando Rex loquatur ut Rex: nisi dicere velimus, Deum magis egisse causam Reipublicæ secularis, quam Christum D. Reipublicæ Christianæ à se institutæ, & suo sanguine redemptæ; ut ergo Deus subditis dedit discerniculum, quo vocem Regis ut Regis discernere possent à voce Regis ut personæ privatæ; ita multò magis Christus D. dedidit se debuit discerniculum, quo Fideles vocem Papæ ut Capitis totius Ecclesiæ discernere possent à voce Papæ ut personæ privatæ: nullum autem melius discerniculum desiderari potest, quam quod Papa omnes Fideles alloquatur, omnibus præcipiat, & ab omnibus suam decitionem ut indubitatam admitti velit. Sanè vix puto ausurum aliquem tot quasiunculis confundere vocem Regis, ut vix apparere possit, quando Rex loquatur ut Rex; & audebimus tot trices vocem Pontificis implicare, & exigere ut necessarias tot loci, modi, Notarij, sigilli, tituli circumstantiarum examen, in re Ecclesiæ adeo necessariâ, nulla inde utilitas proveniat, quam confusio, ignorantia, & Decretorum Pontificiorum mobservantia. Ego certè paratus potius sum in eam venire sententiam, ut vel negem nobis constare, quando Rex loquatur ut Rex, quam dependentè ab innumeris circumstantijs Pontificis loquelam asserere: longè enim absurdius est Supremum omnium Principem, cujus vox veritas, & vita æterna est, mille tricarum nodis irretire, quam vocem Principis secularis. Apagæ.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

SUMMARIUM.

Locus nil facit, ut Papa loquatur ut Papa, n. 27.
Discrimen inter Decretum Clementis VIII. Alexand. & Innoc. n. 28.
Cur Decretum Hispanæ Inquisitionis necessarium, n. 29.
Cur Papa loquens in Inquisitione, non loquatur ut Præses illius, sed ut Caput totius Ecclesiæ; Rex verò loquens in Congregatione Ordinis S. Jacobi, non loquatur ut Rex, sed ut ejus Ordinis Magister? n. 30.

An ea